


rotunditatem montes efficiunt, cum tot convallibus sint, et inter se inæquales, et anfractuosi. Et ad planities iam dictas, et alias innumeratas, vix fere sunt sensibiles dicendi. Ad hoc enim, sensibilitatis asylum, et Clavius, et eius magistri Astronomi, solent confugere, cu[m] eis, montes, valles, scopulique obiiciuntur. Aiunt enim, terræ rotunditatem non impediunt, quia non sunt, sensibilis momenti. Quæ fuga ut eis concedatur, certe in planiciebus non est concedenda. Nam sunt maxima terrenæ superficie pars, quæ rotunditatem eius impedit. Qua enim ratione, eadem terra subiecta, eodem loco, eodemque tempore, duo contraria in se recipiat, planum, et convexum? Imo in maris in Oceani, in aliarum aquam fundis, et convexum recipiat et concavum? Aquarum autem fundi plusquam dimidia superficie terræ sunt pars. Et planicierum prior numerus, tum graduum, tum Miliorum, a Septentrionibus versus æquatorem, quarta fere est pars. Cui si Nili latitudo addatur, plusquam duas totius a Polo ad Polum latitudinis tertias partes conprehendit, sicuti et pervana, fere tertiam aliam complectitur. At Africana Nigiris longitudo, graduum est LV Asiana vero cum parte Europeæ plusquam gradus CXL continet. Itaque non possunt dici insensibiles respectu globi totius. Neque etiam eo possunt confugere si dicant, fidem non esse habendam, aut Marco Polo, aut Hispanis, aut Polonis, aut Paulo Iovio, aut aliis qui earum planitierum memoriam scriptis reliquerunt, quod vel sponte, vel errore sint mentiti. Nam etiam si detur, quod non datur, hos falsos esse mentiunculis, natura ipsa non mentitur. Si enim tantæ regiones planissimæ non essent, sed in medio ad rotunditatem, ac tumorem surgerent, Boristhenes, Tanais, Volga, Nilus, Nigir, Danubius tanta terrarum spacia non decurrerent, aut in ascensum, inde in descensum currerent. Non enim flumina ulla prius ascendunt, postea descendunt. Sed totus eorum cursus, ex axiomate, tum Aristotelico, tum Claviano, descensus est ad decliviora. Et igitur flumina hæc per plana decurrent, inclinata tamen tantum versus maria, ut in ea ferri possint. Neutra ergo, terra et aqua, cum non sint rotundæ, quibus machinis Astronomi, et Geographi, ex utraque globum unum confecerunt? Eumque ita rotundum, ut unam eandemque habeant superficiem convexam, uti autem. Qui enim una eademque esse potest convexa superficies, vallis imæ, cum montis aut pendice, aut cacumine? Aut huius cum planicie supposita? Aut cum maris plano? Certe multi sunt inter Alpes lacus, inter montes alios altissimos, quo sensu, quave ratione, Geographi, aut Astronomi depræhenderunt, lacuum superficiem eandem esse cum imminentis cacumine montis. Cum hic ad cœlum attollatur, illa in imo resideat? Sane Chimerae sunt hæc et non mathematice demonstrationes. Neque illorum ratio ea, qua asserunt, quia singulæ et terræ, et aquæ partes centrum expetant, utramque in unum globum congregant. Utramque enim in loco a natura deputato, uti est Aristoteli demonstratum, quiescere est necesse. Et earum partes etiamsi ad centrum vergant omnes, id in suo quæque loco, sine ullo motu faciunt, nec ab eo discedunt, neque descendunt. Neque se se de loco trudunt, neque in declive fluunt, nisi pars inferior vi e suo loco abstrahatur.



Exemplo a Clavio, alia in causa proposito id fit manifestum. Nam si unum tantum est centrum A. terræ aut vel aquæ partes in plano constitutæ. B. C. D. E. F. G. H. I. omnesque ad ipsum vergant, et inclinationem habeant, neque a suis abibunt locis. Et si summota pars